



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Sabas Abbas. 5. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

ubera. Hinc novus filiæ suæ leno per urbem ludibrio circumduci sustinet unâ verecundiâ tectam. Demum è tyranno carnifex suâ manu non barbaram filiam barbarissimus parens demetit. Sed carnificis carnifex fulmen fuit, quod in eodem loco scelus extinxit. Nunc BARBARA illis è cælo opitulatur, qui, ne sine sacro epulo diem ultimum obeant, orant. Testis ejus rei locuples Stanislaus est sanctissimus è Societate JESV adolescens; quem si æmulabitur, rectè faciet adolescentia.
Ex Baron.

Si quando senseris te ad aliquod cieri peccatum, in mentem revoca nulli mortalium tolerabile Christi iudicium, omnium durissimam pœnam, confusionem semipternam: hoc timore, quasi freno animam tuam, ad vitiosam concupiscentiam proclivem cohibe. Ex Basil. in psal. 33.

S. SABAS ABBAS. 5. Decembris.

Sabam si spectasses, Imperatorem dixisses; ut qui monachorum exercitum non unum ducebatur, viros omnes, quales vultu etiam se ferebant, cum ille imberbem in castra sua neminem admitteret. Sævientis fornacis flamas scribitur crucis signo extinxisse; feras & feris magè feros homines domuisse: Agarenum, qui fallaci animo accesserat, terræ hiatui devovisse: templum, cælo monstrante, in rupe alicubi reperiisse: in genium malum ab ipso Christo armatus depugnasse, ab eodem nunc cibariis, nunc pecuniis donatus. Jam leonem, qui medicam SABÆ manum expertus erat, ajunt asino custodem ducemque ad pascua fuisse tamdiu, quoad agaso luxurie fœdâ se contaminavit, tunc enim devorasse asinum.

Ipsum

Ipsum SABAM , cùm ad Anastasium Imp. hæreticum iret , anteambulonem habuisse Angelum , verbis impium liberis castigasse , mortemque ei imminentem multò antè prævidisse . Sed & Justinianum itidem Imperatorem palam coronam cælo vidisse descendere , & caput SABÆ ambire , qui tamen exorari non potuit , ut heredem Imperatori apud D E V M impetraret , quod hunc hæretorum partibus accessurum sciret . Denique in cælum abiisse anno D . XXXI . inter DD . Martyrum comitatus . Ex Metaphr .

Verè dives est , qui in conspectu Dei potest dives videri , in cuius conspectu terra exigua , mundus ipse angustus est . Solum illum Deus divitem novit , qui sit dives eternitate , qui non opum sed virtutum fructus recondat . S . Ambr . l . 3 . ep . 1 .

S . NICOLAUS EP . 6 . Decembri .

Mores cum lacte ab infantia imbibit NICOLAVS probat , qui cùm à primis cunabulis diebus Mercurii & Veneris semel in die , idque noctu tantum , maternum lac admisisset , eam consuetudinem jejunii per omnem deinde vitam sanctam habuit . Adolescens divitias omnes in pauperes dilapidavit , ad hoc ingenio etiam , ne gloriolam mercaretur , usus ; uti tum fecit , cùm tribus puellis , quas noverca paupertas prostituere parabat , dotem trinis noctibus furtim per fenestras immisit . Subinde cùm pietatis causâ terram CHRISTI vestigiis nobilem peteret , iratum mare quieti , nautam extinctum vitæ reddidit . Post ex eremo ad homines divinâ voce evocatus , & divino item indicio Pontifex creatus Myræ , pro libertate Catholicâ fortiter carcerem & vincula